contra Rigorem iuris scripti quo casu omnes concordant quod reser-
ratur pro scripto vel antiquorum in hac questione unde probatur debet
considerari primo ecclesie de quo queritur utrum habeat consuetudines
hanc nam alique sunt ecclesie ubi non est numerus canonicorum nec distinctio
prebendarum de prebendis dictis et in istis non potest introduci hec
consuetudo quia non est reperire quod in talibus ecclesiis alique prebende va-
cent ergo prebenda non vacans optari non potest ut requirit
illa decretalis cum iniuncta alique vero sunt ecclesie in quibus est certus
numerus canonicatuum sed nullus est numerus nec distinctio prebendarum ut patet
de concessione prebende c. si. § praeterea ante li. vi. et in istis etiam non potest
introduci hec consuetudo pari ratione maiori quia talibus ecclesiis
per administrationem capituli bona dividuntur inter canonicos et illi
quanto sunt pauciores tanto recipiunt maiores portiones ut
in dicto c. si. § praeterea autem alique sunt ecclesie in quibus est numerus certus
canonicatuum et per correspondentiam ad numerum canonicatuum
est etiam numerus sed non distinctio prebendarum quia omnia bona sunt
ad dominium et administrationem capituli et tamen in et super quibus bonis
quasi in quodam consensu absque aliqua actuali distinctione institutus
est numerus prebendarum correspondens numero canonicatuum et iste prebende
magis proprio vocabulo vocantur portiones prout legitur § in
primis de prebendis dilectis et in ipsis ecclesiis sunt observantie diverse
nam in aliquibus capitulum sicut habet curam bonorum domi-
nium ita per officiales suos omnia bona administrat et fruc-
tibus recollectis tot facit equales portiones quot sunt canonici
et cuilibet tradit partem suam et sic servatur in ecclesia Clandagonen.
in huiusmodi ecclesiis hec consuetudo simili modo non posset introduci
quia cum inter prebendas non sint tituli beneficiales nulla sit
actualis distinctio et inter portiones que fiunt bonis administratis
nulla sit electio nec durat illa divisio fructuum nisi quousque
illis fructibus sunt contentis non est reperire unam esse alteram
meliorem in aliquibus vero ecclesiis in quibus est certus numerus
canonicatuum et in quibus et super bonis capituli absque aliqua
actuali distinctione institutus est numerus prebendarum correspondens
numero canonicatuum capitulum ad quod spectat divisionem bonorum
dominium bonorum non administrat per officiales suos sed divi-
dit bona capituli inter prebendas que sunt canonici et
cuilibet ipsorum capitulum assignat prebendam suam et fiunt hec
assignationes ad tempus secundum quod capitulo placet et tempore lapso
omnes redeunt in genere et sit nova bonorum divisio ut
ante prebende sic divise quia non est possibile quod sint ita